



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Iosephvs - Hermannvs C. 4. Aprilis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

moto bene precari visus est. Non è Parnasso, sed cælo hoc fuit somnium. Nam deinceps versus IOSEPHVS non fecit, sed fudit, ut qui exciperent, jam olim ad omnes ungues examinatos, nunc è memoriâ tantum promi autumarent. Itaque Imperatoribus etiam gratus, non potuit tamen, quin in exilium secundo pelleretur. Sed quia causam habebat cum DEO communem, etiam hîc Poëtarum ingeniosissimum vicit, locoque ac muneri suo semper restitutus, demum immortalî laureâ donandus ad Mecænates suos abiit Superos. Hos omnes, quos quidem versu laudavit, ad exequias Poëtæ sui confluisse, S. Theodorus ab iis ipsis redierit, cuiusdam ad tumbam suam supp^l. . . narravit. Tantum refert, scire quos laudes. Nunc dum non laudanda in mundo laudant Poëtæ, quod pretium ferunt, nisi ut splendide diu mentientibus mundus splendidius mentiatur, & post multas fabulas ultima & longissima fabula ipsimet fiant? *Ex Menais.*

S. IOSEPHVS - HERMANNVS C.

4. Aprilis.

HERMANNVS septem annorum puerulus cœpit inter ultimam rerum omnium inopiam Musas, sed præ Musis impensè MARIAM colere. Eam cum in templi oedeo ludentem

N cum

cum FILIOLO & D. Ioanne vidisset, dextrâ VIRGINIS in societatem accitus, homo Superis collusit: puto ut cælum ostenderet, quis maxime ludus studiosum adolescentem deceret. A Iudo saxum monstravit PATRONA, unde quoties egeret, nummos promeret. Ita Mecenate cælo usus, simul annum XIII. fuit ingressus, mundo est egressus, & candidum Præmonstrati Ordinis habitum Steinfeldiæ suscepit; ratus longum cæli iter adolescentiæ maturè ineundum esse. Inter religiosæ vitæ studia tam amor in HERMANNO MARIÆ, quàm HERMANNI in MARIA crevit, ut eum primum, amantissimo IOSEPHI nomine donaret, tum deinde in Sponsum deligeret, donec in manus omnes cæli devitias FILIUM daret. A gritudines illius complures suâ manu absterfit. Tristiorum, quòd muniis aliis distractus precibus vacare non posset, monuit, plus apud Superos sollicita in alios studia, quàm quæta inter preces suspiria mereri. Quoties genu supplex MARIÆ nomen venerabatur, toties omnibus perfundi sibi odoribus visus est. Cælo hiemante litantis manus, ne à frigore offenderentur, IESVS & MARIA fovebant, duo utique calidissima sidera. Corpuseulum mortui ut supra terram semper, ita etiam sub terrâ diu integrum man-

manfit; an quia odoribus, quos memoravimus, illud condivit? *Ex Surio.*

S. THEODVLVS & AGATHOPVS
M.M. 4. *Aprilis.*

Nemo vel citò vel serò nimis calidam viam ingreditur, si quidem ingreditur. Iuuenis aetate THEODVLVS, senex AGATHOPVS, parili tamen cursu per Martyrum stadium cucurrerunt, anno à Christi ortu quarto supra trecentesimo. Et THEODVLVS quidè ante cursum, bravium (certè arham bravii) scribitur è caelo annulum accepisse, qui artificis caeli manum crebris miraculis, quibus omnes passim morbos pellebat, laudavit. Porro cùm intra carceres ambo adhuc confisterent, in somnis ab ipso Numine sunt animati, ipsi verò ad fidem exemplo suo adductos alios animarunt. Postridie ad virtutis theatrum (tribunal tyranni) tracti in ruborem hunc, in lassitudinem tortores dederunt. Eà, quæ secuta est nocte, iterum carceribus clausi, idem uterque in somnis somnium viderunt. Naufragium sibi facere videbantur, sed auspiciatum illud, & nimium fortunatum: quòd cæteris quidem, quorum longè plurimi erant, fluctu haustis, ipsi nescio in quem montem caelo contiguum evasissent, candidis ibi vestibibus ornati. Somnium hoc dies explicuit.